





21.
Disputatio Juridica Inauguralis

13f.

De

Publicis Judiciis

Quam

Divinâ Adspirante Gratiâ

Approbante Magnifico, Nobilissimo &

Amplissimo Ictorum Ordine in Illustri ad Visurgim

Hasso-Schaumburgica Academia

PRÆSIDE

Viro Nobilissimo, Ampliss. ac Consultissimo

Domino Christophoro Joachimo

Buchholz Icto, Consiliario Hassiaco, Professore Co-

dicis Publico & p.t. Facultatis Juridicæ Decano Ipectabili Dn.

Fautore, Patrono ac promotore ætatem

honorando, colendo,

Pro summis in utroq; Jure Honoribus ac Privilegiis

Doctoralibus rite consequendis

Publico Examine submittit

WICHMANNUS WARNERS Jeveranus

In Auditorio Ictorum Die Februarii horis ante-

& post meridianis.



RINTELII,

Typis PETRI LUCII, Academiae Typographi,

M DC LV.

Die Kunst der Buchdruckerei
in
Friedrich Jochims

Divina Aequanimitas
Abhandlung von der Kunst der Buchdruckerei
in
Friedrich Jochims

Die Kunst der Buchdruckerei
in
Friedrich Jochims

Die Kunst der Buchdruckerei
in
Friedrich Jochims

Die Kunst der Buchdruckerei
in
Friedrich Jochims

Die Kunst der Buchdruckerei
in
Friedrich Jochims





*Cum Spiritu Sancto: sine cuius numine
nihil est in homine.*

THES. I.

DE publicis judiciis inaugurali hac disputatione pro ingenii modulo acturus, juxta admonitionem JctiUlpiani in *L. 1. d. de Inst. & Jur. L. 1. d. de reb. cred.* antequam ulterius progrediar ipsam vocabuli notationem & rei definitionem præmittam. Publica Judicia dicta sunt, quod cuivis ex populo executio, id est, persequutio sive accusatio eorū plerumq; concedatur, §. 1. *Inst. de publ. Jud. L. 43. §. 10. D. de rit. nupt. L. 30. C. ad L. Jul. de adult.* Illa definiuntur quod sint, quæ ex LL. publicorum judiciorum veniunt, seu quæ lex talia esse constituit ac decrevit *L. 1. D. de publ. jud.* Hinc fit ut populares aliæquæ actiones, quæ ex LL. publicorum Judiciorum non descendunt, hisce non annuenerentur, tametsi omnibus pateant *arg. tot. tit. de popul. act. junct. lit. de publ. Judic. L. 1. §. 6. D. de susp. tut.* Eaque sunt vel capitalia, quibus damnato aut vita eripitur, aut libertas aut civitas: vel non capitalia, quæ salvâ vitâ, libertate atque civitate præter infamiam (quæ ex omnibus judiciis publicis irrogatur *L. 7. D. de publ. jud. L. 1. D. de his qui not. infam.*)

A 2

vel

vel poenam pecuniariam fisco inferendam, vel corporis aliqua
coercitionem irrogant *L. 2. D. de publ. jud. L. 6. §. nunc genera &
L. L. seqq. L. 28. D. de poen.*

II.

lim. lese Majest. Inter crimina autem quæ judiciis publicis vindicantur
primum locum ob gravitatem obtinet crimen Læse Majesta-
tis [quam hic saltem brevitatis gratiâ temporalem non divi-
nam intelligimus, quamvis & aliâs commodè huc referatur
per L. 4. §. 1. C. de Heret. & Manub.] Illud olim in solum popu-
lum Romanum apud quem erat Imperium *L. 1. §. 1. D. ad L. Jul.
Majest.* committebatur, postea translato Imperio *§. 6. Inst. de I.
N. G. & C. L. 1. D. de Const. Princ.* in Imperatorem vel Rempu-
blicam committitur *§. 3. Inst. de publ. Jud.* Quod de Imp. hic
dictum de Regibus etiam Principibus & Rebus publicis Supe-
riorem non recognoscentibus intelligendum est *arg. L. 7. §. 1.
D. de captiv. & post. revers. Jul. Clar. lib. 5. sent. §. lese Majest. 2.
Myns. cent. 5. obf. 41. Trentl. vol. 2. Disp. 32. Th. 1. Lit. B. Idem quo-
que de Principiis Consiliariis quatuorlibus, qui etiam Corporis
Principis partes dicuntur *L. 5. C. ad L. Jul. Majest.* Si Principis
intuitu non privato odio aut ob privatam inimicitiam offen-
dantur *arg. d. l. 5. cap. odia de R. I. in 6. L. 42. D. de poen. L. 155. D. de
R. I. Arnisej. Disp. 25. th. 2. Tr. Disp. 32. thes. 1. L. C. ibique Bachov.
VVurms. Nucl. jur. controuv. L. 4. tit. 18. controuv. 4.* afferendum
est. Sic quoque hodiè non tantum in Electores Imperii per
specialem constitutionem *Car. 4. in Aur. Bull. tit. 24.* sed & in
reliquos Imperii Proceres & Status ad similitudinem Senato-
rum ac militum populi Romani *d. L. 5. C. ad L. Jul. Maj.* quo-
rum hi vices subeunt ac in comitiis pro senatoribus reputan-
tur, quippe qui in Comitibus Imperialibus de commodo & uti-
tate*

5
 litate Imperii una cum Imp. consultant & deliberant, eorumq;
 consensus, prout ex Recessib. de Anno 1500. 1512. 1521. aliisque
 (ubi semper hæc clausula conspicitur adjecta: Vnd haben wir
 vns mit den Ständen vnd sie hinwiederum mit vns verglichen),
 satis superque liquet, requiritur; hoc crimen læsæ Majestatis
 committi verius putamus. *Carpzov. præf. crim. part. 1. quæst.*
41. n. 59. & seqq. Mejer. in C. I. A. ad L. Iul. Maj. n. 6. Verū quan-
 tum ad pœnam attinet licet hoc casu Princeps vel status Im-
 perii contemtam dignitatem suam capite vindicare possit,
 non tamen animadversio ad confiscationem bonorum ex-
 tendi debet, hæc enim pœna specialiter in eos, qui cum aliis in
 necem Electorum conspirarunt, constituta est *Carpzov. d. L.*
Anth. Matth. de criminib. ad L. Iul. Majest. c. 1. n. 4. in fin.

III.

Variis autem hoc crimen committitur modis: Vel enim
 adversus Imperatorem vel Remp. aliquid moliendo & hoc
 vel directò ad ejusdem status everisionem spectat, vocaturque
 specialiter crimen perduellionis *L. ult. D. ad L. Iul. Majest. Tr.*
vol. 2. Diss. 32. thes. 1. Lit. D. ibique Bach. Mejer. in C. I. A. ad L.
Iul. Mai. n. 2. Huc igitur pertinent conjurationes, proditones,
 & omninò quicquid ad Imperii statum evertendum hostili a-
 nimo attentatur. *L. 1. 10. & fin. D. ad L. Iul. Mai. L. 5. c. eod.* Vel
 non directò ad Statum Reipubl. tendit, sed magis ad Majestatis
 violationem vel imminutionem spectat, illudque fit jura sibi
 ejusdem arrogando & usurpando, uti est privatos carceres ha-
 bere, monetum absque Imperatoris concessione licet probam
 justiq; valoris cudere *L. unic. C. de privat. carcer. L. 2. C. de fals.*
mon. Tr. d. thes. lit. E. ibique Bachov. hodie tamen nisi subtilius

A 2

distin-

distinguat promiscuè crimen perduellionis & majestatis cō-
 fusè in Inst. D. & C. de utroque agitur. Ut autem hoc crimen
 quis commisisse dicatur requiritur ut sit subdit^{us} ratione origi-
 nis vel domicilli *cap. past. ralis 2. vers. non est rursus silentio De*
sent. & re Judicat. Nec tantum ipso opere & effectu, sed nuda
 etiam voluntate committitur, quatenus tamen aliquatenus in
 actum exivit exteriorem, quo voluntas manifesta fiat, quem-
 admodum de cogitationis poenā dicitur, quam alioquin ne-
 mo patitur *L. quisquis 5. C. ad L. Iul. Mai. Const. Carol. 4. in A. B.*
tit. 24. Harp. ad §. 3. Inst. de publ. Ind. n. 32. Tr. ad d. th. lit. H. Zoef.
ad D. ad L. Iul. Mai. n. 11. Notandum autem verbis regulariter
 Majestatem, nisi ea ad seditionem spectant, lædi haud posse *L.*
in fin. L. 7. §. 3. D. ad L. Iul. Mai. L. unic. C. si quis Imp. maled. Sic
 etiam delinquentes aliis poenis coercitos fuisse constat ex Re-
 cess. Imp. Frph. Anni 1567. & anni 1548. quamvis exasperari e-
 jusmodi poenæ pro personæ, injuriæque qualitate & atrocitate
 possint §. 9. *Inst. de iniur.*

IV.

Pœna hujus criminis est gladius cum bonorum confisca-
 tione *L. 5. C. ad L. Iul. Maiest. const. Carol. 4. in A. B. tit. 24.* Si non
 discernationem membrorum, vel aliud ultimi supplicii acer-
 bioris genus qualitas maleficii exigat *d. const. Car. 4. Gudel. de*
jure noviss. L. 5. cap. 6. In perduellione præterea rei quoque
 memoria damnatur *L. pen. & ult. C. ad L. Iul. Mai. L. 6. §. 11. D. de*
iniust. rupt. Nec tantum atrocissimi hujus delicti author pu-
 nitur, sed & ejus filij infamiâ notantur, ab omnibus honoribus
 arcentur, omnique successione & testamenti factione penitus
 privantur uti post Arcad. & Honor. *in L. 5. C. ad L. Iul. Mai. ex-*
pressè

7
pressè sancitum à Carol. 4. in A. B. d. t. Hodiè tamen prædictæ
 pœnæ in filiis eorum constitutæ nostris moribus non obser-
 vantur teste *Iul. Clar. L. 5. sent. n. 10. & 14. Tr. disp. 37. th. 1. L. K.*
 Idque æquissimè attestante Sacra Scriptura *Deut. c. 24. vers. 16.*
2. Reg. cap. 14. vers. 6. 2. Chron. c. 25. & tantum de primo hoc crimine.

V.

Alterum crimen publicum est adulterium, quod de Jure *Adulterium*
 Civili nihil aliud est, quam vitatio ejus quæ alteri nupta est *L.*
6. §. 1. L. 34. D. ad L. Iul. de adult. Anth. Matth. d. tract. ad L. Iul. de
adult. c. 1. n. 3. Nupta itaque indistinctè perpetrat, dum con-
 cumbit cum soluto vel conjugato *L. 101. D. de V. S. Genes. c. 26.*
vers. 10. Matth. c. 19. vers. 13. & seqq. 1. Cor. 7. vers. 39. Appella-
 tione autem nuptæ etiam sponsam comprehendimus, in quâ
 adulterium quoque committi verius *L. 7. C. ad L. Iul. de adult. L. 13. 9.*
 & sponsa ratione fidei quam Sponso debet pronupta habetur
Vvesenb. in Paratitl. D. ad L. Iul. de adult. n. 7. Cui consentit et-
 tiam jus Divinum *Deut. c. 22. v. 24. Exod. c. 22. v. 26. Genes. 38. v.*
24. & Hos. 4. v. 13. ubi dicit expressè Deus: Filix vestrae fornica-
buntur, & sponsæ vestræ adulteræ erunt. An & conjugatus
cum innupta se commiscens adulterium committat? vix vi-
detur arg. L. 1. C. ad L. de adult. propriè enim innupta fit d. L. 6.
§. 1. Verum si ad jus divinum & conjugii vinculum adspicias,
 cum fides conjugalis hoc modo solvatur, adulterium est in ef-
 fectum solutionis matrimonii & alios qui vinculum nuptia-
 rum adficiunt *Nov. 117. c. 9. §. si quis in sua domo c. dixit c. nemo*
sibi blandiatur 32. quest. 4. c. non mæchaberis 32. q. 6. non verò
 quoad pœnam capitalem quæ adulteris infligitur *Bernh. Sco-*
tan. in Colleg. Jurid. D. ult. th. 9.

Variæ

VI.

Variae hujus criminis apud varias & diversas gentes ex diversorum Legislatorum judicio poenae fuerunt, quibus obsoletis hodie ex jure Divino Const. Constantini & Car. V. poena est ultimum supplicium *Deut. c. 22. vers. 22. Lev. 20. v. 10. L. 30 §. 1. C. ad L. Iul. de adult. const. Carol. art. 120.* Quae poena mulieri indistinctè infligitur, si verem habuerit cum alieno marito sive cum coelibe, marito non nisi cum nupta. Ratio manifesta est: quia non hic sicut ibi fit foeda seminum confusio & adulterinorum suppositio. *Anth. Matth. in d. tract. ad L. Iul. de adult. c. 1. n. 12. in fin.*

VII.

Hæc de adulterio propriè dicto, sub cujus latiori significatione venit stuprum, quod est viduæ aut virginis honestæ corruptio *L. inter liberas 6. §. 1. D. ad L. Iul. de adul. L. inter stuprum 101. D. de V. S. §. item lex Iulia de adult. 4. Inst. de publ. Judic.* Diximus esse corruptionem virginis aut viduæ honestæ, ut innueremus non esse reos stupri qui cum inhonestis & meretricibus congressi fuerint, sed tantum fornicationis, cujus poenam, quamvis jura non definierint *L. si ea 22. & L. qui adulterium 29. C. ad L. Iul. de adult.* tamen nequaquam intuitu alicujus boni impunè ferenda. *Rom. 13. vers. 4. L. 13. D. de offic. Praesid. Tr. vol. 2. disp. 32. th. 3. lit. B.*

VIII.

Committitur aliud sine vi, cujus poena in honestioribus est publicatio dimidiæ partis bonorum; in humilioribus coercitio corporis cum relegatione *§. 4. Inst. de publ. Judic.* Hodiè secundum mores incumbit stupranti necessitas dotandi aut ducendi stupratam *Clar. lib. 5. sent. §. stuprum n. 3. Harpr. ad §. 4. Inst.*

Inst. de publ. Ind. Aliud per vim inferitur (Germanicè *Nothgucht*) cujus poena capitalis est. *L. 1. §. fin. D. de extraord. crim. const. crim. Car. V. art. 119. in pr. Ves. in Parat. ad L. Iul. de adult. n. 21. Berlich. part. 5. praet. conclus. 41. n. 20. & seqq. Harpr. d. l. n. 119.* Eademque poena lenones, qui proprias suas uxores vel filias quæstus causa prostituunt, puniuntur *L. 8. pr. D. ad L. Iul. de adult. const. Carol. art. 122. 123.* Extraneas verò prostituenti relegationis vel aurium præcisionis aut fustigationis poena infligitur *d. const.*

VIII.

Huc etiam pertinet nefandum Sodomix crimen, quod *Sodomix* est præpostera & à natura abhorrens Venus, quando videlicet mares cum masculis, vel foemina cum foeminis, vel utrique execrando modo cum bestiis rem habent: Item incestus, qui fit inter illos, quorum conjunctio jure naturali & divino illicita planè & prohibita est. Utrumque vindicatur gladio *L. cum vir nubet 31. C. ad L. Iul. de adult. Gaill. de pac. publ. obs. 14. n. 26. Nov. 77. & 14. Menoch. de arb. Ind. quæst. L. 2. cent. 3. cas. 286.* nisi quod ex consuetudine hodie Sodomix seu belluina illa conversatio igni cremi opuniatur *Iul. Clar. L. 5. sent. §. Sodomix n. 4. Const. crim. art. 116.* aliquando & pecus, quo eum commissa est nefanda illa libido, comburitur, scil. ad abolendam facti memoriam *arg. Lev. c. 20. c. mulier. qu. 5.*

X.

Tertium crimen publicum, descendit ex L. Jul. de vi publica & privata, quâ coercetur omne illud quod per vim fieri dicitur *L. 152. D. de R. I.* Utraque hæc à causa efficiente objecto &

B

cto &

Quo & modo dignoscitur *Bach. ad Tr. d. D. th. 4. L. A. vis publica fit cum vel vis infertur armis §. 8. Inst. de publ. Indic. vel sine armis à persona publica L. 7. D. ad L. Iul. de vi publ. L. 1. C. eod. vel à privato personæ publicæ d. l. 7. in fin. sive modo publico aut tali, quo interdictum est privatis L. 1. & seqq. D. d. t. Vis privata committitur quoties privatus sine armis lædit privatum §. 8. Inst. de publ. jud. §. 6. Inst. de Interdict. cujus exempla vide in L. 1. §. 1. & 2. L. 4. pr. L. 5. 6. & seqq. D. de vi priv. L. 4. C. eod. Uno quoque eodemque actu & publicæ & privatæ quis reus fieri potest; ut si quis convocatis hominibus vim fecerit, tenetur ex L. Iul. de vi publ. L. 5. L. 10. §. 1. d. t. tenetur etiam de privata L. 2. D. eod. In dubio autem ubi certa non apparet posterior seligenda arg. L. 42. D. de pæn. L. 155. D. de R. I.*

XI.

Pœna violentiæ publicæ olim aquæ & ignis interdictio L. 10. D. ad L. Iul. de vi publ. in cuius locum successit deportatio §. 8. Inst. de publ. Ind. L. 3. D. ad L. Iul. pecul. Privatæ publicatio dimidiæ partis bonorum cum infamia L. 1. D. ad L. Iul. de vi privat. Hodie utriusque pœna est arbitraria *Danhoud. in pract. crim. c. 100. n. 9. Clar §. fin. quest. 83. n. 4. Menoch. l. 2. arb. Ind. quest. cent. 4. cas. 354.* quæ pro ratione circumstantiarum etiam ad mortem extendi potest. L. 7. §. 3. D. ad L. Iul. repetund. L. 11. D. de pæn. l. 22. C. ad L. Corn. de fals. l. 9. D. de extraord. crimin.

XII.

raptus. Hac L. Julia quoque raptus tanquam atrocior cæteris vis, graviori tamen pœnâ coercetur, nimirum cum fœmina honesta,

nesta, virgo, vidua aut sponsa raptoris, vel matrimonii aut libidinis explendæ & corruptionis causa de domo patris vel aliunde per vim abstrahitur *L. un. C. de rapt. virg. Nov. 143. Vvesenb. in Paratit. D. ad L. Iul. de adult. n. 22.* Non solum autem hujus criminis rei, sed & omnes qui opem ferunt, socii ac ministri sunt, capitis supplicio & bonorum proscriptione, quæ raptæ addicuntur, damnantur. *d. l. unic. §. 2. l. 5. l. 54. C. de Episc. & Cler. l. 6. d. de vi publ. d. Nov. 143. in pr. Const. Crim. art. 119.* Et hæc poena locum habet siue mulier consenserit siue non *d. l. unic. §. 2. d. const. crim.* Non enim plenè velle intelligitur, quæ circumvenitur & seducitur pravis persuasionibus, quæ semper intervenisse præsumitur *l. 3. §. si quis volentem D. de hom. lib. exhib. l. 1. §. persuadere & §. seq. d. de serv. corrupt. L. pen. C. de pact. Ludov. ad Inst. disp. ult. th. 8. lit. G.* An autem poena locum habeat, si raptor raptam carnaliter non cognoverit vid. *Harpr. ad §. 8. Instit. de publ. jud. n. 36. Anth. Matth. d. tr. ad L. Iul. de vi publ. & priv. cap. 2. n. 14.* ad quos brevitatis gratiâ me refero.

XIII.

Succedit nunc quartum crimen publicum videlicet homicidium, quod est vel voluntarium, vel necessarium vel casuale. Voluntarium est quo quis deliberatò & dolo malo hominem è medio tollit *L. 1. in pr. D. ad L. Corn. de Sicc. Zoef. ad D. d. t. in pr.* Dolo dicimus, quia sine dolo propriè non committitur *l. 7. D. d. t.* Dolus verò ex facti qualitate præsumitur, nisi contrarium probetur *L. 1. C. eod.* Hominis nomine venit etiam foetus in ventre existens: quo tamen casu distinguendum, ut siquidem animatus partus abigatur, ordinariæ L. poenæ, si verò inanimatus partus abigatur, extraordinariæ locus sit. *l. 39. D.*

B 2

de poen.



de pœn. c. consulisti 20. caus. 2. q. 5. c. quod verò 8. Const. crim. art. 133. Clar. d. l. 5. sent. §. fin. quest. 68. n. 2. VVesenb. in Paratitl. ad L. Corn. de Sic. n. 7. Poena autem quâ homicidium dolosum coercetur hodiè tam de jure divino, quam humano est ultimum supplicium & secundum leges & mores indistinctè gladius Gen. cap. 9. v. 6. Exod. 21. v. 12. Matth. c. 26. v. 5. Inst. de publ. Iud. l. pen. C. ad L. Corn. de Sic. Const. crim. art. 137. Clar. d. lib. 5. sent. §. homicid. n. 14. VVesenb. in Paratitl. ad L. Corn. de Sic. n. 16. & 17. in nonnullis ex occisorum circumstantiis alterius cujusdam cruciatus additione aggravari potest. d. art. crim. 137. in fin. Quod si verò à pluribus communicato consilio & deliberato (secus si in rixa aut fortuito orta turba) commissum fuerit, omnes ordinaria L. Corneliæ poena tenentur l. 1. §. 3. l. 15. D. ad L. Corn. de Sic. const. crim. d. art. 148. Nec hæc poena statuto in pecuniariam mutari propter immutabilitatem juris divini rationem potest.

XIV.

Hac quoque poenâ tenentur ii, qui necem alii tentantes ex errore personam aliam præter intentionem interficiunt l. 18. §. 5. D. de injur. l. 20. C. de furt. Idque propter propositum quod adfuit dolosum, ut & mulier, partu ab ea in solitarium locum exposito moriente arg. l. 15. D. ad L. Corn. de Sic. vivo verò remanente, si ab alio sustentatus fuerit excusatur & extra ordinem coercetur Const. crim. art. 132. VVesenb. in Parat. ad d. t. n. 14. Berlich. præct. concl. p. 4. concl. 7. n. 32. & 33. Hæc poena etiam extenditur ad eum qui homicidium mandavit, vel alium eo nomine conduxit, quod Itali Assassinium appellant C. 1. de homicid. in 6. arg. l. 7. §. fin. D. de jurisd. l. 1. §. 1. D. de eo per quem factum

factum l. 11. §. 3. D. de injur. & arg. l. 15. D. ad L. Corn. de Sic. Quid si quis non mandaverit occidere, sed vulnerare tantum & is occisus sit? dubio procul excusabitur à poena ordinaria L. Corn. ad illam enim imponendā non sufficit culpam quamvis latam eventum præcessisse, sed dolus & animus occidendi omnino requiritur L. 7. D. ad L. Corn. de Sic. l. 5. C. eod. L. qui injur. 53. in. pr. L. 39. D. de furt. Arumai. exer. 15. th. 9. Bronch. cent. 2. assert. 65.

XV.

Eadem quoque L. Corn. poenā & venefici, qui non modo venenum hominis necandi causa conficiunt aut vendunt tenentur l. 1. §. 1. l. 3. d. ad L. Corn. de Sic. const. Crim. art. 130. sed etiam qui magicam artem sive ad salutem sive ad damnum eā utantur, exercent §. 5. Inst. de publ. Jud. tot. tit. C. de malef. & mathem. Lev. cap. 19. v. 31. Exod. 22. v. 18. Et hoc si pactum cum diabolo nullum & horrenda à Deo defectio non intercesserit, quæ si per indicia certa probata fuerint captivari & examini vel nudo vel torturæ subjici Schütz, ad Inst. Disput. 25. th. 18. & pro re comperta ultimo supplicio affici & igni adjudicari possunt. Exod. 22. v. 18. Const. crim. art. 109. Schneidvv. ad §. 5. Inst. de publ. judic. Vultej. eod. n. 8. Tr. d. disp. th. 7. ibique Bach. lit. D. Harpr. ad §. 5. n. 303. Inst. de publ. Judic.

XVI.

Sequitur nunc altera initio propositæ divisionis species homicidium videlicet necessarium, quod non dolo malo committitur, sed quodammodo coactè videlicet ob vitæ corporisque defensionem, quæ omnibus modis licita est, l. 3. D. de

Inst. & jur. l. 45. §. 4. D. ad L. Aquil. nec statuto aut lege tolli potest. Id enim si fieret naturam ipsam tollerent leges. Hæc nullam poenam meretur, si moderamen inculpatæ tutelæ adhibitum, id est, si defensio in continenti, & ad injuriæ propulsationem facta fuerit, ab eo, qui in vitæ periculo constitutus, cum se tueri non posset nisi occidendo, sive paribus sive imparibus armis sit usus l. 3. D. de just. & jur. d. l. 45. d. ad L. Aqu. l. 1. §. 27. & 3. §. 9. D. de vi & vi arm. l. 1. C. unde vi const. crim. art. 139. Ludov. ad Inst. disp. ult. th. 5. L. D. Scot. in exam. jurid. ad L. Corn. de Sic.

XVII.

Ob rerum quoque nostrarum defensionem, non tamen propter ipsas solas, cum inter eas & vitam hominis nulla sit proportio l. 21. in fin. C. de SS. Eccles. sed propter tutelam insimul cum vitæ discrimine conjunctam licitum est homicidiū l. 1. C. unde vi l. 4. §. 1. d. ad l. aquil. l. 52. §. 1. eod. l. 3. §. 9. d. de vi & vi arm. c. 3. de homic. const. crim. 140. Bach. ad Treutl. d. th. 6. lit. H. Harpr. ad §. 5. Inst. de publ. jud. n. 185. & seqq. Ob defensionem autem famæ & existimationis cædes nullatenus faciendæ, nam ubi in jure agitur de defensione semper ei vis opponitur l. 3. D. de just. & jur. d. l. 4. & 5. D. ad l. aquil. quis autem ignorat, quod per convitia vis corpori non inferatur neque per injurias fama revera alicui aufertur arg. l. 7. D. quod met. caus. & jure legitima prodita sunt remedia, quibus famæ & honori nostro consulere possumus Bach. ad Tr. d. disp. th. 6. lit. G. Harpr. ad d. §. 1. Inst. de publ. judic. n. 163. Tutandæ tamen pudicitia causa impunè occidere vim facientem licere affirmat l. 1. §. 4. d. ad L. Corn. de Sic.

Su-

XVIII.

Superest ut de homicidio casuali despiciamus, illud est, quod citra propositum occidendi & necessitatem casu committitur *l. 7. d. ad l. Corn. de Sic.* illudq; à poena immunne est *L. 1. C. eod.* Si autem culpa casum præcesserit non omnino impunitum manet, sed extraordinem punitur *d. l. 7. l. 31. d. ad l. aquil. VVesemb, in Parat. d. ad l. Corn. de Sic. n. 23.* Homicidium autem à furioso & infante commissum, quin casui sit imputandum, non est dubium, quia alteram fati infelicitas excusat, alterum fati infelicitas excusat, alterum consilii innocentia tuetur *l. 12. D. d. t.* Quæritur de ebrio & irato an & hi furiosis comparentur & à poena hac excusentur? Et in ebrio distinguendum, ut siquidem levior fuerit ebrietas, vel alias studiosè accersita omnino ordinariæ poenæ locus sit, si verò magna ita ut usum rationis tollat nec de industria captatu extra ordinem puniendus *l. 11. §. 2. d. de poen. l. 12. in fin. d. de cust. l. 6. §. 7. in fin. D. de re milit. c. sane 7. c. inebriaverunt. 9. caus. 35. q. 1. Gaill. obs. 110. n. 24. Clar. quest. 60. n. 12. Harpr. ad §. 5. Inst. de publ. jud. n. 287.* Idem dicendum de irato, & eum videlicet mitius puniendum *arg. l. 48. & ibi Dec. de R. I. si forte ex justa causa ad iram provocatus fuerit l. 38. §. 8 d. ad L. Jul. de adult. Gaill. d. l. num. 35. Clar. d. l. n. 9.*

XIX.

Proximum huic asperrimum est parricidii crimen, quod propriè in parentes & liberos, unde parricidium quasi parricidium dictum videtur: minus propriè inter collaterales & affines committitur, puta inter fratres, sorores, patruales, consobrinos aliosq; cognatos & affines *l. 1. d. ad L. Pompej. de parricid.*

ricid. Vultej. Iurispr. Rom. eod. n. 6. Poena hujus criminis si in specie sit commissum delinquens virgineis sanguineis caesus cum cane & gallo gallinaceo, vipera & simia, culeo insutus in mare ad proximum amnem projicitur §. 6. *Inst. de publ. Indic. l. unib. C. de his qui parent.* Si aliter sit commissum locum habet poena *L. Corn. de Sic. d. §. 6.* Hodie autem ista poena tanquam barbaram redolens sceleratam in usu esse desuit, & parricidae pro cujuslibet regionis consuetudine vel gladio feriuntur candentibus sive ignitis forcipibus prius lacerati vivi in terram defodiuntur, vel in quatuor partes dissecantur, vel strangulantur & dolio inclusi in flumen projiciuntur *Const. crim. art. 131. & 137. Harpr. ad §. 6. Inst. de publ. jud.*

XX.

falsum.

Progredimur jam ad sextum crimen publicum videlicet falsum, ut si quis animo corrumpendae veritatis in alterius fraudem dolo malo aliquid facit *l. 20. C. ad L. Corn. de fals. l. 1. & 2. d. eod. Harpr. ad §. 7. Inst. de publ. judic. crim. 2.* Committitur autem falsum vel circa homines vel circa res; circa hominem committitur crimen suppositi partus *l. 19. §. 1. D. ad L. Corn. de fals. l. 1. & 10. C. eod.* mutatio nominis & insignium *l. 13 D. d. t. l. unic. C. de mut. nom.* falsum & corruptum testimonium *l. 1. pr. l. 20. l. 27. D. d. t.* Falsum quoad res committitur, si quis testimonium vel aliud instrumentum falsum scripserit, signaverit, recitaverit, &c. *§. 7. Inst. de publ. judic. l. 1. & 2. l. 16. l. 32. D. d. t. alienas literas resignaverit arg. d. l. 1. §. 5. monetam adulterinam cuderit aut veram raserit l. 9. D. d. t. l. 1. & 2. C. de fals. monet. Const. crim. art. 111* vel etiam ab aliis adulteratam sciens dolo malo expenderit *d. art. 111* pondera mensuras falsaverit *L. pen. §. 1. D. d. t. Const. crim. art. 111.*

Poena

XXI.

Pœna falsi regulariter est deportatio omniumque bonorum publicatio, si sc. liber homo id ipsum commiserit, sin verò servus ultimo supplicio afficitur §. 7. *Inst. d. t. l. 1. §. fin. D ad L. Corn. de fals.* Hodiè ferè arbitraria & pro circumstantiis delicti varia est, ita ut certa in hoc iudicio præscribi non possit. Nunc enim extenditur ad ultimum supplicium *L. 22. C. ad L. Corn. de fals.* nunc remittiturque ad manus amputationem *Nov. 42. & 17.* vel relegationem temporalem *l. 21. l. 13. §. 1. l. antep. D. d. t.* quandoque etiam in totum aufertur ut impuberibus *L. 22. D. d. t. Vvesenb. in Parat. ad d. t. n. 12.* monetæ tamē adulteratores flammis subjiciuntur *l. 2. C. de fals. mon. Const. crim. art. 11.*

XXII.

Sequitur jam septimum crimen, nempe repetundarum, *Repetundarum* cuius reus est, qui in administratione officii publici, ut in Magistratu, curatione & legatione vel quo alio munere, quo magis vel minus aliquid faciat, quod aliàs ex officio gratis facere vel omittere, vel prohibere tenebatur munera, quibus etiam sapientes excæcantur & corrumpuntur *Exod. 23. v. 8. 1. Sam. 8. v. 3. accipit. l. fin. C. ad L. Iul. Repet. l. 4. & 7. D. eod.* exceptis esculentis & potulentis Xeniiis quotidiani victus causa datis *L. 6. §. 3. D. de offic. procons. l. 18. D. de offic. præf. Mys. cent. 2. obs. 75.* & iis quæ à propiore gradu junctis sunt data *L. 1. D. d. t.* Hujus criminis variæ explicantur species *in l. 3. 6. & 7. D. d. t.* Pœna hujus criminis est restitutio quadrupli intra annum simpli post annum *l. 1. l. fin. C. eod.* & præter hanc datur criminalis extraordinaria arbitraria *l. 7. §. fin. D. eod. Anth. Matth. in tr. de crim. ad L. Iul. Repet. c. 2. n. 1.*

C

Octavo

XXIII.

Amora

Octavo loco inter crimina publica numeratur crimen fraudatæ annonæ, si videlicet alicujus dolo malo factum sit, ut minus abundans annonæ copia, vel ut major ejus caritas sit *l. 2. D. ad L. Jul. de ann.* Hoc igitur crimine tenentur, qui species coemptas supprimunt, flagellant, ex raritate adfectantes caritatem. Qui fructus prædiorum suorum æquis pretiis vendere nolunt, dum minus uberes proventus expectant *l. 6. D. de extraord. crim.* qui ponderibus mensurisve adulterinis annonam onerant *d. l. 6. §. onerant.* nec non qui monopolium exercent. *C. tot. tit. de monop.* Poena fraudatæ annonæ ex *L. Jul.* videtur fuisse XX. aureorum *l. 2. §. fin. D. ad L. Jul. de annon.* sed solet extra ordinem modo gravius modo levius pro admitti qualitate puniri *d. l. 6. D. de extraord. crim.*

XXIV.

peculatus.

Nonum crimen publicum est peculatus, quod est furtum pecuniæ publicæ aut sacrae, non ab eo factum cujus ea periculo fuit *l. 9. §. 2. D. ad L. Jul. pecul. §. 9. Inst. de publ. Ind.* idq; multis modis fit, ut videre est in *L. 1. D. d. t.* Poena hujus criminis in privatis est deportatio *§. 2. Inst. de publ. Ind.* uno atque altero casu excepto, quo tantummodo est poena quadrupli *l. 6. in fin. D. d. t.* In Magistratibus verò qui tempore administrationis suæ pecunias publicas subtraxerunt ultimum supplicium *d. §. 9. l. 6. §. fin. & l. unic. C. de crim. pecul.* Magistratus enim atrocius peccare videtur, si ipse pecuniam publicè furetur; quam privatus, Illius enim fidei cura Reipubl. concredita & commissa est. Hodiè verò cum privatarum rerum furtum capitale sit *Const. crim. art. 157.* & propter hoc eadem ferme poena imponenda *Tr. d. disp. th. 9. lit. E.*

Sub

XXV.

Sub peculatu hîc quoq; continetur sacrilegium, quod est furtum rei sacræ è loco sacro, aut religiosæ è loco religioso *Cujac. in Parat. ad L. Iul. Pecul.* quam definitionem de sacrilegio propriè dicto accipiendum putamus, latè etiam & impropriè sacrilegii vocabulo accepto, non solum rei sacræ vel religiosæ furtum, sed alia etiam facta ejus appellatione veniunt, scinditur in veram vel quasi veram *l. 1. & 3. C. de crim. sacr. l. 9. §. 1. D. ad L. Iul. pecul. l. ult. C. de priv. eorum qui in Sac. Palat. militant. Const. crim. Carol. art. 171. & 174.* Poena hujus criminis est capitalis *l. 9. pr. D. d. t.* sed solent extra ordinem pro qualitate personarum & rerum, vel clementius vel severius coerceri *l. 6. & 10. d. t. adde const. crim. art. 172.* Et sic propter res alicui specialiter non concreditas puniuntur: quod si verò fidei alicujus commissæ subtractæ fuerint, tum in crimen residuorum incidit *L. 4. §. 3. D. ad L. Iul. pecul.* cujus poena pecuniaria est *d. l. 4.* Vel etiam hodiè ad similitudinem furti, pro circumstantiarum qualitate capitalis *d. const. 172.*

XXVI.

Decimum locum sibi vindicat crimen ambitus, quod est suffragiorum ad honores impetrandos vel Magistratum datâ pecuniâ corruptio in eo positum, quod cum honores & Magistratus ambire per se apud Romanos esset licitum; in vitio poneretur per pecuniam quærendi modus *Vvesenb. in Parat. ad L. Iul. de amb.* Poena hujus criminis fuit centum aureorum *L. unic. D. d. t.* quæ promodo & qualitate admissi ad deportationem extendi potest. *l. un. C. eod. Tr. d. Disp. th. ult. lit. H.* Sed secundum mores hæc vix attenditur. Huc pertinet etiam

Simo-

Ambitus.

Simonia sive spiritualium emptio & venditio, de quâ videri potest *Clar. l. 5. sent. §. Simonia Danb. d. tr. cap. 61. n. 62.*

XXVII.

Plagium

Undecimo loco numerum publicorum criminum claudit Plagium, quod est liberi hominis vel etiam servi alieni fraudulenta suppressio, aut ad fugam sollicitatio *L. 3. 4. 5. & l. pon. D. de L. Fab. de plag.* Pœna hujus criminis olim erat pecuniaria *l. ult. D. d. t.* hodiè interdum mors est *l. 7. l. fin. C. d. t.* interdum mitior puta metalli vel exilii *§. 10. Inst. de publ. Ind. l. fin. D. d. t.* Verum Jure Divino & Canonico omnis Plagiarius qui sciens dolo malo liberum hominem vendit morte mulctatur *Dent. cap. 24. vers. 7. Exod. 21. vers. 16. c. l. de furt.*

XXVIII.

Hucusq; crimina publica breviter enumerata sunt, restat ut tandem etiam modum procedendi in hisce paucis describamus, Proceditur autem in hisce judiciis publicis duplici modo vel per viam inquisitionis, vel per modum accusationis. Illam ex officio Magistratus facit *L. 3. De offic. Praef. l. 13. eod. l. 4. §. 1. D. ad. l. Jul. pecul. Nov. 128. c. 21. l. 1. C. de cust. reor. l. 10. C. de Episc. & Cler. L. 7. & 14. C. de Apoll.* modo competens sit, alias inquisitio ab eo formata non valet *tot. tit. C. si non à comp. Ind. Far. q. i. n. 53.* Hodiè verò competens censetur, cui merum Imperium habenti, delinquens vel ratione domicilii vel ratione delicti supponitur, vel ubi alias reperitur *L. i. C. ubi de crim. ag. op. l. 3. D. de jurisd.* Inquisitio autem hæc facienda cum de delicto constet sive generaliter sive specialiter. *L. 1. §. 24. D. ad Scf. Syllan.* magis cum inceperit de persona constare. Inquisitio verò sine precedentibus judiciis formari non potest.

test. *L. 8. §. 1. & ibi Dd. C. de quest. quæ autem sint Legitima indicia ad specialem inquisitionem fundandam vid. Farrinac. q. 9. n. 6. Anth. Matth. In tr. de criminib. tit. 20. lib. 45. D. cap. 2. n. 7.* Accusatio autem omnibus, qui ab hoc munere non repelluntur conceditur *L. 8. 9. D. de Accus. L. 45. C. de his qui accus.* Eodemq; modo accusari omnes omnino cujuscunq; etiam ætatis, sexus, aut status (nisi prohibeantur) possunt *L. 7. §. 2. L. 12. 14. d. loc.* Modus accusandi est, ut fiat oblato libello inscriptionis, qui clarè personas, locum, tempus & delictum contineat. *L. 3. L. pen. D. de Accus.*

XXIX.

Ordinato taliter processu delinquens absens (publicè affixis vel ad Magistratum domiciliæ emissis literis *L. 1. §. 2. D. de requir. & absent. dam.*) intra annum à die citationis computandum *L. 4. D. eod.* comparere jubetur, annotatis interim bonis ipsius, quo eorum affectionis & obfignationis tadio ad comparandū trahatur *L. fin. D. de requ. & abs. damn. L. 1. C. eod.* Etsi non compareat intra annum contra contumacem proceditur, ut bona in fiscum cogantur *L. ult. D. & C. d. t.* Hodiè absentes citati & non comparentes condemnantur in die *Mordacht const. crim. art. 155.* Præsens captus custodiæ traditur *L. fin. C. de accus.* vel si delicta sint minus atrociora, ita ut poena corporalis cesset, possunt rei fidejussoribus committi *L. 1. 2. & 3. D. de cust. reor.*

XXX.

Veritate rei non ex præsumptionibus (ex quibus solis in criminibus nemo damnatur) sed evidentioribus probationibus (quæ fiunt per examen testium jure approbatorum, vel propriam rei confessionem, si exploratæ rei veritati conve-

niat *L. 1. §. 17. D. de quest. L. 16. C. de pæn.* quæ confessio aliis probationibus deficientibus etiam per tormenta elicitur *L. 8. & 9. D. de quest. const. crim. 58.* dummodo sufficientia adsint indicia, *L. 15. §. 1. L. 18. §. 2. D. d. t.* & personarum qualitas id patiatur *L. 8. d. & l. 8. C. de quest.*) indagatâ, finitur accusatio vel absolvendo vel condemnando, interdum & abolitione crimen tollitur, *l. 8. 9. 10. D. ad sct. Turpil.* eaque vel publica facta fortè ob diem insignem, vel rem prosperè gestam à Principe *d. l. 8. 9. 12. D. eod.* vel privatâ auctore postulante; idque cum causæ cognitione *L. 1. §. 8. d. l. 10. eod.* vel legalis quæ fit per litigatorum mortem *L. 15. §. 3. D. eod. l. 3. & 6. D. de publ. jud. l. 6. & tot. tit. C. si reus vel accus. mort.* (nisi tale sit crimen, cuius actio & adversus hæredes duret *d. l. 15. & l. 6. C. d. t.*) vel per præscriptionem 20. annorum *arg. l. 12. C. ad L. Corn. de fals. l. 13. D. de div. temp. præscript. paucis exceptis velut parricidii l. ult. D. ad L. Pomp. de parricid. suppositi partus L. 19. §. 1. D. ad L. Corn. de fals. & aliis L. 22. D. ad sct. Sill.* Illud tamen de accusatione solùm dictum non etiam ad inquisitionem citra Reip. præjudicium trahi potest *L. 52. D. ad L. Aq. l. 28. §. 15. D. de pæn.* Vel denique per instantiam post biennium lite contestata peremptam *l. 13. C. de judic. l. fin. C. ut int. cert. temp.* Aque hoc modo pro angustia paginarum amplissimam ac gravissimam hanc publicorum judiciorum materiam summarie delineasse sufficiat.

*Eidem Spiritui, cum quo incepimus & cæptum
perfecimus sit*

LAUS, HONOR & GLORIA.

Rünteln, Diss., 1624-60

ULB Halle

3

003 615 197



5b.

WOM







21.
Disputatio Juridica Inauguralis

13f.

De
Publicis Judiciis

9/1

Quam
Divinâ Adspirante Gratiâ
*Approbante Magnifico, Nobilissimo &
Amplissimo Ictorum Ordine in Illustri ad Visurgim
Hasso-Schaumburgica Academia*

1655, 2.

PRÆSIDE
*Viro Nobilissimo, Ampliss. ac Consultissimo
Domino Christophoro Joachimo
Bucholtz Jcto, Consiliario Hassiaco, Professore Co-
dicis Publico & p.t. Facultatis Juridicæ Decano Ipectabili Dn.
Fautore, Patrono ac promotore ætatem
honorando, colendo,*

*Pro summis in utroq; Jure Honoribus ac Privilegiis
Doctoralibus ritè consequendis*

Publico Examine submittit
WICHMANNUS WARNERS Jeveranus

*In Auditorio Ictorum Die Februarii horis ante-
& post meridianis.*



RINTELII,
Typis PETRI LUCII, Academiae Typographi,
M DC LV.

